

fit *ἰσχυρή* Philosophica, interim tamen non est mera *ἀγνοία* sed *γνώσις* aliqua, cum nihil credam, nisi quod credendum esse, & ita se habere, sciam. Ac proinde recte sentit Bellarm. cum fidem negat esse *ἰσχυρήν*, sensu speciali & Philosophico acceptam: Errat autem, vel ad minimum incommodè loquitur in eo, dum infert, *fidem esse ignorantiam, quia non sit ἰσχυρή Philosophica*. Quasi verò à remotione unius speciei liceat argumentari ad remotionem generis: & quasi præter scientiam humanam non detur *γνώσις* divina & Theologica, quæ vocatur sapientia DEI, 1. Cor. 2. v. 6. 7.

LXXX.

QUÆSTIO II.

Quænam salvificæ fidei partes sint?

Si Jobi exemplum consideraverimus, parata erit responsio. Nam cum ille crederet futuram sui corporis resurrectionem, 1. Sciebat, hoc sibi promissum & revelatum esse. 2. Toto animo assentiebatur, & plenissimè de hoc ipso persuasus erat. 3. Fiduciam propterea suam ponebat in Christum Redemptorem, omnesque miseras spe resurrectionis & beatæ visionis leniebat. Fides igitur Jobi constabat tribus partibus sive actibus, invicem consequentibus. 1. Notitiâ. 2. Assensu. 3. Fiduciâ. Et hæc tria in verâ fide semper concurrere oportet.

Tres sunt
partes fidei.

LXXXI.

Requiritur enim in Credente 1. *ἰσχυρῶς* seu *illuminatio mentis*, quæ cognoscuntur ea, quæ tum ad DEI, tum ad nostri notitiam spectant, juxta dicta Job. 17. v. 3. 2. Pet. 2. v. 21. 1. Job. 2. vers. 3. 4. Requiritur 2. *συγκατάθεσις*, hoc est, *judicium adprobans & assensus firmus*, quo credimus Deo, ejusque verbo, tanquam veritati primæ & infallibili, unde fides appellatur *ἔλεγχος μὴ βλεπομένων*, argumentum seu certa persuasio de rebus etiam nondum apparentibus, Hebr. 11. v. 1. Requiritur tandem 3. *πέποιθησις* vel *apprehensio & receptio fiducialis*, per quam meritum Christi & promissiones gratiæ firmiter applicantur. Nam fiduciæ est Christum quærere Eccl. 5. v. 6. ad illum venire Matth. 11. v. 28. ipsum cum suâ justitiâ appre-